

LE GRAND VITA.

LE GRAND (Ludovicus) in Burgundia natus est loco dicto Lusigny, anno 1711, die 12 junii. Augustodani clericus factus 1728, Parisiense petit S. Sulpitii seminarium. Ibi illustrissimos inter condiscipulos tantā emulit rerum theologicarum philosophicarumque peritiā, ut dignus habitus sit, qui ē scholaribus recens scammis, in Clarentiā cathedrā philosophiæ professor institueretur. Parisios reversus, licentiæ ingreditur studium, magnæque scientiæ suæ opinionem omnium animis injicit. Conscriptus deinde S. Sulpitii sodaliti, Camera-cum primū, posteaque Aurelian mittitur sacram doctrinam professurus. Crescente verò in dies nominis famā, Parisios revocatur, lauream consequitur doctoralem, mirāque adē disciplinarum ecclesiasticarum laude folget, ut defuncti in locum Montagni (1), votis omnium invitantibus, S. Sulpitii studiis magister prepositus sit. Dum munus hoc obiret, ut par est, strenuē elaboratissimum de *Incarnatione Verbi divini* exaravit opus, quod secundis curis impressum auctumque non mediocriter, tribus tomis comprehensum anno 1754 in lucem profudit: nos verò juxta hanc editionem illud celebratissimum opus in nostro *Theologiæ* volumine nono recudimus. Non ita multo post prælectiones theologicæ de *Deo ac divinis Attributis* ab antepenultimo in studium præfecturæ prædecessore suo Lafosse, novis additamentis ornari locupletarique. Tractatum insuper de *Ecclesiā* parabat; quam quidem pretiosam lucubrationem, morte interceptus, hand potuit absolvere. Volumen unum superest, septuagintaque vol. 2 pagine, quæ omnia clari theologo minimè profectō indigna sunt. Ex hoc porro opere sequentem de *Miraculis dissertationem*, non parvo, ut speramus, lectorum fructu depremissimus. Varia præterea animo intendebat vel aggressus est Le Grand, quæ, deficiente tempore, interrupta pependunt.

In sacra Facultate Parisiensi, quā laboris amans judicique maturitate commendandus esset, non semel ostendit. Quippe nullum ibi negotium theologicum erat aliquantuli momenti, cujus non ipse pars magna foret, cūm potissimum ageretur de censurā librorum conficiendā, qui tunc temporis adversis sanctissimam religionem denso agmine in vulgus spargebantur. Quoties auctor noster doctorem Parisiensem, jure quodam suo conspicuus, et manus et lingua exstitit! Narrat D. Riballierio. Facultatis tam syndico, familiaris fuisse, ut inconsulto Le Grand nihil quidquam de theologiā responsionibus elucidandum sibi esse putaret.

Dum Buffonii commenta geologica Facultatis judicio subicerentur, ferventerque inter deputatos disputatio, Le Grand pro sua sententiā nimium fortasse incautus; postredie enim morbo gravi correptus est, quo paululum decessere viso, Issiacum rus petiit, ibi verò die tertiā, cūm spes aliqua amicis clucesceret, fato piē functus est anno 1780, ætatis autem 69.

(1) Theologus de quo hic agitur verus est auctor libri de *Notis Theologicis*, quem in Prolegomenis nostris ad Theologiam alteri Montagno, tam ob nominis, tam ob ordinis religiosi, tam ob tituli similitudinem, adscripsimus.

Dissertatio de Miraculis.

Paucis hic expendere animus est que ad miraculorum nomen, naturam, causas, finem, auctoritatem seu pondus et vim probandi, atque ea que vera sunt à spuris discernendi modum, spectant.

Quæres 1^o quid intelligatur nomine miraculorum? Resp. nomine miraculorum intelligi ab omnibus effectus illos raros, sensibiles, stupendos, supra hominis facultates positos, quales in Scripturis et in Historiā narrantur, ut sunt mortuorum resurrectiones, subitæ simul et omnino absolute morborum curationes, subitæ transmutationes seu transformationes aut alterationes corporum.

Hæc miraculi notio quam omnes recipiunt haberi potest instar definitionis nominis. Mox erit tradenda

rei definitio, quā natura ejusmodi effectuum explicabitur.

Quæres 2^o utrum possibilia sint miracula? Miraculorum possibilitatem negavit Spinoza in libro cui titulum fecit: *Theologico politico*; quia, inquit, miracula fierent contra leges naturæ, quæ leges sunt decreta Dei immutabilia. Nempe, in illo tractatu nondum aperit profitebatur atheismum, quem ordine geometrico in suā *Ethicā* frustra et insulso stabilire conatus est.

Sed contra respondendum miracula esse possibilia. Nam nomine miraculorum intelliguntur effectus illi rari, sensibiles, stupendi, hominis facultatem superantes, ut resurrectiones mortuorum, curationes su-

bite et simul absolute morborum, subitæ transformationes et alterationes corporum, quæ in Scripturis præsertim et in Historiā ecclesiasticā referuntur: atqui ejusmodi effectus sunt possibiles, seu nullam contradictionem involvunt. Vel enim ii effectus, ut nonnullis visum est, sequi possunt ex legibus communicationis motuum, vel sunt ejusmodi legum exceptiones, seu sunt effectus iis oppositi qui ex legibus communicationis motuum sibi relicti sequerentur, ut sentiunt cujuscumque communionis theologi et philosophi, imò et ipsi athei qui cum Spinosā malunt negare unquam patrata fuisse miracula, quā ea spectare ut consecutiones legum communicationis motuum. Si primum dicatur, evidens est illos effectus nullam contradictionem involvere, neque id ipsemet inficiaretur Spinoza qui resurrectionem Lazari idē solum statuit repugnantem, quia ea non potuisse consequi ex legibus motuum pervidebat. Si alterum decernatur, neque etiam idem effectus contradictionem involvent. Nimirum, si quam contradictionem involverent ejusmodi effectus in illā hypothesi quæ verissima est, vel in se sumpti, vel in ordinem potentiam divinam, vel relativè ad decretorum divinarum immutabilitatem: atqui nullum horum dici potest.

1^o Effectus miraculosi nullam contradictionem involvunt ratione sui, cūm materia in se considerata nullam sui modificationem sibi possibilem præ aliā necessariō seu vi essentia suæ postulet; modus materia: qui materia inhareret vi essentia ipsius, jam non esset ejus modus, sed attributum constans et necessarium, utpotè vi essentia ejus ipsi inesse determinatum. Opus autem miraculosum in aliquā speciali alicujus materiae partis configuratione, texturā, figurā, motu, quiete, totum positum est; v. g., resurrectio mortui hoc solummodo postulat, ut motus sanguinis restitatur, ut organa reficiantur, et ut anima quæ illi corpori prius erat unita, iterum eidem uniatur. Quis autem non videt nullam in his tribus contradictionem involvi?

2^o Nullam quoque in ordine ad potentiam divinam involvunt contradictionem miraculosi effectus, cūm Deus ea omnia possit quæ non repugnant.

3^o Neque demum relativè ad immutabilitatem decretorum divinarum opera miraculosa contradictionem involvunt. Quæ enim à Deo produci possunt sinè ullā ejus consilii sui decretorum mutatione, non involvunt contradictionem relativè ad decretorum Dei immutabilitatem: atqui opera miraculosa à Deo produci possunt et procedunt sine ullā ejus consilii sui decretorum mutatione. Scilicet Deus liberè instituit leges naturæ; pròinde dūm eas instituit decreto liberrimo, nihil obstat quominus præviderit et exceperit eos casus in quibus voluit effectus miraculosos produci; ergo opera miraculosa secum non important mutationem decretorum divinarum quibus leges motuum institutæ sunt, quandoquidem legibus ejusmodi non comprehenduntur illi effectus, sed ab eis excipiuntur, et alio modo quā hæc legibus à Deo producuntur.

Dices: Miracula derogant legibus naturæ; ergo illis legibus adversantur.

Distinguo consequens: Legibus naturæ corporeæ eatenus adversantur quatenus sunt effectus iis effectibus oppositi qui ex legibus naturæ sequuntur in iisdem circumstantiis physicis, concedo: iisdem legibus eatenus adversantur quatenus producuntur iisdem in casibus ad quos juxta decreta divina illæ leges extenduntur, nego. Cūm miraculis dicitur derogari legibus naturæ, nihil aliud significatur, nisi eos esse effectus diversos à consecutionibus legum naturæ, seu oppositos effectibus legum generalium circa naturam corpoream institutarum. Quapropter idem effectus miraculosi dicuntur etiam exceptiones à Deo constitutæ legibus illis generalibus.

Inst.: Leges naturæ sunt decreta Dei; ergo miracula quæ sunt contra naturam, fierent contra decreta Dei, pròinde in iis mutationem inferrent.

Dist. antecedens: Leges naturæ sunt decreta Dei, id est, Deus eas instituit actu simplicissimo voluntatis suæ, quo simul exceperit casus in quibus voluit fieri miracula: præterea ab actu illo perfectissimo leges naturæ vim suam, firmitatem et perseverantiam consequuntur, concedo: leges naturæ sunt formaliter ipsamet decreta Dei, seu actus illi perfectissimè voluntatis divinæ quæ leges illas generales constituit sunt; nego. Leges generales ad naturam corpoream atinentes, quas physice corpusculari sectatores leges communicationis motuum vocant, sunt quidem institutæ à Deo, seu actu simplici et liberrimo voluntatis divinæ: quo simul atque determinatæ sunt illæ leges, statutæ sunt quoque illarum exceptiones quas voluit. Ille verò leges ab illo actu profectæ, illo actu decreta et determinatæ, ejusdem sunt effectus, non autem sunt cum ipso quid idem.

Nego consequentiam, nempe quòd miracula, quæ sunt contra naturam, id est, quæ sunt effectus oppositi iis qui ex legibus generalibus motuum sequuntur, fierent contra decreta Dei seu contra actum quo Deus eas leges sanxit, addeoque in illo actu mutationem inferrent: cūm ex adverso illo eodem actu quo decreta sunt et fixæ leges illæ, statutum sit quibusnam in casibus locum non haberent et effectum solum non consequerentur, etiam in iisdem circumstantiis physicis.

Quæres 3^o utrum patrata sint miracula?

Respondeo apud omnes eos qui christiano nomine gloriantur esse indubitatum multa patrata fuisse vera miracula quibus revelatio christiana evincitur, illudque idem ut planè certum ita demonstrari adversis deistas et atheos, ut necesse sit in pyrrhonismum universalissimum de factis quibuscumque incidere, si miracula nulla existissem contendantur. Verim ejusmodi probationum tractatio ad hunc locum non pertinet, in quo supponitur revelationem christianam esse veram, et non agitur controversia nisi in eos à quibus agnoscitur.

Quæres 4^o quæ sit natura miraculi et quot sint ejus species?

Antequam respondeatur, notandum plura circumferri de naturâ et speciebus miraculi systemata.

S. Thomas primâ parte, quæstione decimâ, præserim art. 4 et alibi, docet miraculum propriè dictum fieri præter ordinem totius naturæ creatæ, proindè à solo Deo posse produci: id est, esse effectum sensibilem, rarum, stupendum, qui vim omnis naturæ creatæ excedit, ac consequenter à solo Deo producitur.

Miraculum autem impropriè dictum, quod excedit quidem facultates hominis, non verò naturæ angelicæ, idem sanctus doctor statuit posse fieri ab angelo, et aliquandò etiam ab ipsismet angelis malis. Hæc sententia quæ, quantum ad substantiam, omnium est theologorum scholæ, uberiori explicatione indiget quæ mox tradetur. De eâ legi potest Suarezius, de Angelis.

Houttevilleus in tractatu gallico de Veritate religionis christianæ, pag. 50 et sequentibus primæ editionis (idem habetur in alterâ editione), coniecit miracula esse effectus sensibiles, raros, stupendos vim humanam superantes, qui ex legibus communicationis motuum ita occultè sequuntur, ut nullo modo cognosci possint naturaliter, sive per experientiam, sive per rationem, illos esse ejusmodi legum consecutiones. Nimirum harumque legum effectus plerumquè cognoscuntur ratione aut experientia ex legibus generalibus communicationis motuum manare. Miracula ex iisdem quoque fluunt, sed ita occultè ut neque experientia neque ratione illa connexio innotescat, sed solâ revelatione divinâ quisquis homo valeat de illo nexu instrui. Itaque is auctor decernit miraculum jure dici effectum naturalem quatenus ex ordine naturæ seu legum motuum consequitur, supernaturalem verò quatenus per solas naturæ vires non potest ab homine prævideri. Atque ex istâ parte, nempe ex eo quòd sine revelatione divinâ nemo scire queat quandòam opera quæ dicuntur miraculosa debeant ex legibus generalibus communicationis motuum dimanare, deducit vim et auctoritatem miraculorum ad demonstrandam veritatem religionis Christi. Hanc opinionem suam proposuit Houttevilleus tanquam hypothesim plusquam verisimilem, quam probare conatur, tum quia Deus agit viis simplicissimis et generalissimis, tum quia à nemine cognoscuntur omnes effectus sensibiles legum generalium communicationis motuum, et à naturæ contemplatoribus assiduis detecti sunt multi effectus mirabiles et inexplicabiles, qui ex illis legibus oriuntur.

In litterarum republicâ non paucos illa opinio excitavit tumultus. Plerique in illam insurrexere, rati eâ destrui omnem vim et pondus miraculorum ad probandam doctrinam; ita ut epistolam apologeticam scribere auctor coactus fuerit. Nonnulli eam opinionem amplexi sunt, præsertim increduli, qui eandem comminuentem miraculorum auctoritatem idoneam existimaverunt. Aliqui judicaverunt leges generales motuum nobis non satis esse notas, ut possimus de illâ hypothesi solâ ratione duce certo pronuntiare. Ita D. La Chambre in tractatu de Religione quem edidit Parisiis, anno 1757.

Ferè omnes illam hypothesim repudiaverunt, et falsam esse demonstrarunt auctoritate et ratione: at tamen eâ miraculis omnem vim ad probandum adimi pernegarunt.

Mallebranchium de miraculis impugnare aliqui post Arnaldum: *Réflexions théologiques et philosophiques sur le nouveau système de la nature et de la grâce*; sed ejus sententiam non videntur satis accuratè exposuisse. Si benè perpendatur eâ de re Mallebranchii doctrina, in his consistit quòd miraculum generalitè sit exceptio legum generalium communicationis motuum; quòd plerumquè ab angelis bonis producat; quòd aliquandò à demone ad decipiendos homines, qui tamen nunquam nisi suâ culpâ ab eo decipiuntur; quòd etiam dentur miracula quæ Deus solus speciali voluntate efficiat, seu quæ non sint ullius legis generalis naturas ipsas spirituales spectantis consecutiones. Ex quibus patet Mallebranchium de miraculis à sententiâ communi theologorum vix distare, nisi quòd causas secundas scisciat non esse nisi causas occasionales, dum contra S. Thomas et alii scholæ theologii iisdem propriam virtutem et efficaciam extra se aliquid producendi tribuere solent.

Clarkius, celebris doctor communis anglicanæ, in opere in gallicum sermonem verso sub hoc titulo: *Discours sur l'être et les attributs de Dieu, les obligations de la religion naturelle, la vérité et la certitude de la révélation chrétienne*, etc., tomo 3, cap. 19, pag. 153, edit. 1728, hæc tradidit definitionem miraculi quam theologiam vocat: *Vera*, inquit, *definitio miraculi est opus extraordinarium quod ab ordine communi et cursu regulari Providentiæ recedit, productum vel ab ipso Deo immediatè, aut ab aliquo agente intelligente homini superiori, in probationem alicujus doctrinæ specialis, aut in declarationem missionis divinæ alicujus hominis, et ei præbendam auctoritatem*. Hæc definitio faciliè à theologis admitteretur; sed addit idem Clarkius miracula, quæ edita in sacris Litteris leguntur, quantum ad substantiam considerata, posse ab angelis bonis fieri, si mortuorum resurrectionem excipias, inò et à demoniis, Deo permittente.

Nulla miracula ex iis etiam quæ S. Thomas, ut diximus, appellat impropriè dicta, nullos effectus qui sint legum generalium ad naturam corpoream attingentium exceptiones, posse fieri à demonibus docere aliqui ex iis appellantis qui occasione convulsionum scriperunt. Hos verò confutarunt alii quoque ex appellatum numero.

Quid ad questionem propositam respondendum sit, et quid de expositis sententiis censendum, aperiat sequentes propositiones.

Propositio prima. Miracula non sunt consecutiones legum generalium communicationis motuum, sed factum planè est systema Houttevillei de miraculis. In ejus tamen hypothesi, non omnis ad probandum vis et auctoritas miraculis detrahatur.

Probatum prima pars 1^a ex Scripturis, quarum modicus loquendi de miraculis falsitatem hypothesi Houttevilleianæ evidenter demonstrat. Nam, juxta hæc

hypothesim Deus eatenus esset miraculorum auctor, quatenus miracula sequerentur ex legibus generalibus communicationis motuum quas Deus instituit, et in ea influeret ut provisor generalis. Christus autem ut homo nullâ ratione in miraculorum productionem influxisset etiam à causa moralis, sed tantum prævidisset quo tempore, quo momento miracula quæ fecisse sæpius dicitur, erant ex legibus generalibus communicationis motuum secutura, tuncque ita sese gessisset ut miracula illa facere videretur. Pariter propheta, apostoli, et sancti viri quicumque, quibus operatio miraculorum in Scripturis attribuitur, nullo quoque modo miracula patrassent, nec præcibus ea impetrassent à Deo, sed tantum lumine revelationis divinæ prævidissent momentum, quo eadem ex legibus generalibus ad naturam corpoream attingentibus dimanarent, et, quo cognito, ita sese gessissent ut viderentur illa impetrare: atqui manifestum est in hæc hypothesim non quadrare verba Scripturæ de miraculis quæ à Deo, à Christo, ab apostolis et prophetis, à viris sanctis facta enarrantur. Verbis illis significatur ea speciali modo à Deo effici; non verò dumtaxat quatenus leges motuum generales insitunt, et cum illis concurrunt, quemadmodum producit varios ejusmodi legum effectus, v. g., messes. Verbis Scripturæ etiam significatur Christum ut hominem in miracula quæ fecisse perhibetur, influxisse ut causam moralem, semper audiri dignam: unde ipse Lazarum resuscitans aiebat, Joan. 11: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me*. Demum, Scripturæ verba evincunt apostolos ut causas morales et in nomine Christi edidisse miracula quæ ipsis attribuntur, et pariter prophetas aliosque viros sanctos à Deo obtinuisse præcibus miracula quæ ab ipsis patrata dicuntur.

Probatum 2^o eadem pars ex traditione, in quâ ne vestigium quidem ultimum explicationis Houttevilleianæ, sed contra adhibetur perpetuo loquendi modi Scripturæ, inò, in quâ, ubi expositiones uberioris occurrunt, semper illi hypothesi planè repugnant. Legatur S. Augustinus, tractatu 24 in Joannem. Itaque de re tanti momenti quæ cum veritate religionis christianæ tantam connexionem habet, et tam sæpè in Scripturis ipsis memoratur, indubitatum est novitatis esse accusandum eruditum abbatem qui aliàs tractatu illo, quo hæc hypothesim suam absonam nullâ pulsus causâ verisimili effudit, benè de religione meritis est.

Dico cum nullâ verisimili causâ pulsus fuisse ad effutiendam hæc hypothesim, siquidem eam protulit agens contra Spinosa miracula esse possibilea negentem, quem procul dubio noverat esse atheum systematicum, vires naturæ exaggerantem, ipsasmet prophetias imaginationis sacrorum vatium tribuentem, à miraculis quæ ex legibus generalibus motuum non fluere, ita abhorentem, propterea quòd ejus atheismum destruerent, ut in epistola quadam ad Oldemburgum apertè profiteatur se ab atheismo recessurum et religionem amplecturum, si sibi posset persuadere resurrectionem Lazari esse veram. Ejus porrò objectioni petita ex immutabilitate decretorum Dei jam

adhibuerat responsonem eam veram et evidentem, quam modò explicavimus. Uquid ergò addidit hypothesim de quâ agitur, quâ vires naturæ corporeæ adhuc magis exaggerantur quàm casum amplificavit ipse Spinosa, et quæ sub illo respectu magis ipsi favet quàm nocet?

Probatum 3^o illa prima pars ex ratione. Prima ratio sic se habet: illa non sunt consecutiones legum generalium communicationis motuum, quæ opposita sunt effectibus qui ex legibus generalibus communicationis motuum sequuntur in iisdem circumstantiis physicis: atqui miracula opposita sunt effectibus qui ex legibus generalibus communicationis motuum sequuntur in iisdem circumstantiis physicis; v. g., Matth. 14, 29, 30, 31, Petrus confisus verbo Christi *ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum*. Videns verò ventum validum timuit, incipit mergi. Implorat opem Christi. *Jesus... apprehendit eum, et ait illi: Modice fidei, quare dubitasti?* Deambulatio illa evidenter opposita est effectibus qui in iisdem circumstantiis physicis sequuntur ex legibus generalibus communicationis motuum, juxta quam corpus hominis non potest *super aquas ambulare*, quæ gravius est pari volumine aquarum. Petrus verò sic ambulans versabatur in iisdem circumstantiis physicis in quibus paulò post cœpit mergi. Mutatæ erant tantum circumstantiæ morales in affectibus animi site. Initio confidebat verbo Christi, et securè deambulabat; deindè timuit, factus est modice fidei, atque tunc mergi cœpit; ergò Petrus, cum ambulavit *super aquas*, in iisdem erat circumstantiis physicis in quibus cœpit mergi; ergo illa deambulatio erat effectus oppositus effectibus qui in iisdem circumstantiis physicis sequuntur ex legibus generalibus communicationis motuum. Pariter cum in deserto per quadraginta annos, ut ait Moyses Israelitis alloquens, Deuteronomi 8, 4, et 19, 5: *Non sunt attrita testimenta eorum, nec calcamenta pedum... vestustate consumpta sunt*; is eventus erat oppositus effectibus legum generalium communicationis motuum, secundum quas continuo ipsorummet corporum mollium affrictu corpora etiam durissima comminuntur; unde enebat Ovidius: *Culta cavat lapidem; consumitur unguis usu*.

Jam verò, si ostenta ejusmodi tam evidenter percipiuntur contraria effectibus qui ex legibus generalibus naturam corpoream spectantibus sequuntur, quantum magis iis legibus opponitur sanationes instantaneæ et absolute quorumbet morborum, quæ ad imperium Christi Domini sinè morâ contingebant! multiplicationes panum quorundam et aliquot pisciculorum ad plurium millium multitudinem saturandam! conversiones aquæ in vinum, virgæ in serpentem et serpentes in virgam! resurrectiones mortuorum! diei prolongatio ad vocem Josue, *obediente Domino voci hominis*, ut ait Scriptura, Josue 10, 14, etc. Ergo miracula non sunt consecutiones legum generalium communicationis motuum.

Secunda ratio petitur ex analogiâ inter effectus physicos et causas physicas ab omnibus philosophis sapienter admissâ, quâ omnis certitudo physica nititur.

illa analogia planè destrueretur, si cum Houttevilleo supponeretur præter leges generales communicationis motuum, ex quibus experientiâ constanti et observatione cognoscitur sequi illos effectus qui naturales vocantur, alias esse admittendas generales etiam, ex quarum harmoniâ mechanicâ prodirent identidem effectibus illi qui miracula appellantur, seu effectus alii et oppositi prioribus in iisdem circumstantiis physicis. Aerem esse gravem, esse elasticum experimentis multis compertum est. Sed experimenta illa de omni aere fieri non poterunt: quapropter cum ex his experimentis deducatur gravitas et elasticitas aeris, consecrarium illud generale et meritò admissum non habetur nisi vi analogiâ. Quis verò esse possit illi analogiâ locus, si cum Houttevilleo admitterentur leges alie generales et mechanicæ ex quibus naturaliter sequeretur in iisdem circumstantiis physicis quasdam aeris partes aliquando nec esse graves, nec elasticas? Nunquam sanè posset certò expectari talis effectus physicus in illis circumstantiis physicis in quibus universi securè talem effectum physicum expectant. V. g., qui ignem suscitant, ab eo expectant urendi vim, calorem, lumen in iisdem circumstantiis physicis. Sed datâ Houttevilleianâ hypothesi, juxta jam sunt alie leges generales et mechanicæ, ex quibus naturaliter sequeretur in iisdem circumstantiis physicis alii effectus omninò oppositi, ustio, calor, lumen ab igne suscitato securè expectari non possent; ergò.

Probat 4^o quia inanes sunt et omninò nullæ rationes quibus hypothesin suam comprobare nititur Houttevilleus. Ait scilicet Deum agere viis simplicissimis ac sapientissimis: ita asseri à præstantissimis philosophis hanc viam qui Dei sapientiam et perfectam simplicitatem deducunt ab ipsâ Dei naturâ, ejus præsertim bonitate et sapientiâ, quibus determinatur ad illud opus optimum producendum quod ejusdem omnipotentia fieri possit. Addit à nobis ignorari quousquè pateat vis et harmoniâ legum generalium ad mundi mechanicam spectantium; adeoque poni posse effectus illos raros, stupendos et sensibiles qui miracula meritò nuncupantur, ex harmoniâ legum generalium quarundam nobis incognitarum communicationis motuum oriri, quorum quidem effectuum cum causam nesciamus, idcirco eosdem censemus esse exceptiones legum generalium naturæ, licet reverè quarundam legum generalium ad naturam corpoream pertinentium et reconditarum naturales sint consecutiones. Hæc Houttevilleus.

Verùm non intellexit vir eruditus doctrinam celeberrimam illorum philosophorum qui Deum ad optimum se ipso determinari, et vias sequi simplicissimas arbitrantur. Peritiores erant physici quàm ut miracula patrentur fortè esse consecutiones legum generalium quæ res materiales spectant. Omnes ad unum sciscunt miracula non fieri secundum leges illas generales, sed esse effectus oppositos iis qui ex ejusmodi legibus naturaliter consequuntur. *Rien ne se fait dans le monde*, inquit Mallebranchius in libro de la Nature de la grâce, sermone 1, art. 59, qui ne prouve ce sentiment, que Dieu agit par des volontés générales, si l'on en excepte

seulement les miracles: lesquels néanmoins ne seraient point des miracles différents des effets qu'on appelle naturels, s'il était vrai que Dieu agit ordinairement par des volontés particulières; puisque les miracles ne sont tels que parce qu'ils n'arrivent point selon les lois générales: ainsi les miracles supposent ces lois. Supervacaneum foret alia addi Mallebranchii testimonia, cujus sententiam de miraculis modò exposuimus, quam multis in locis constanter tradit.

Leibnitzius, qui de optimismo ulterius progressus est quàm Mallebranchius, et ad omnium mundorum possibilitatem absolutè optimam creationem putat Deum prævalentibus bonitatis suæ ac sapientiæ rationibus determinatum fuisse, ac profundè viarum simplicissimarum est asserit, miracula non esse consecutiones legum generalium similiter asseverat. Legatur ejus opus gallicè scriptum, cui titulus: *Essai de Théodicée*, parag. 249, et alibi.

Idem sentit Wollfus qui, paucissimis exceptis, vestigia Leibnitzii in omnibus sequitur. *Constare decrevit miracula esse contra naturæ ordinem, esse motus contrarios legibus motis, posse fieri propriâ virtute à solo Deo, qui potest facere ea quæ vim naturæ universæ excedunt*. Vide priorem partem theologiæ naturalis Wollfi, § 364, 365, 366, 418, 471, 472, etc.

Itaque frustra Houttevilleus in systematibus clarissimorum philosophorum, qui mundum esse optimum et bonitatem ejus magnâ ex parte oriri à viis simplicissimis legibusque generalibus quibus Deus hunc moderatur, docuerunt, hypotheses suæ subsidium aliquod acquisivit. Si horum mentem sequi existimavit, eorum opera non legerat; novamque et inauditam quam excogitavit de miraculi naturâ doctrinam ipsis præposterè afflavit. Nec dubitari potest quin suâ hypothesi omnes sapientis metaphysicæ limites immoderatissimè transgressus sit.

Probat 2^a pars, nempe Houttevilleum eadem hypothesi suâ miraculis omnem vim probandi non adimere. Ut enim hæc hypothesi non omnia miracula adimatur vis et auctoritas probandi, satis est hominem qui se à Deo missum probat miraculis, non posse miracula prævidere, nisi revelatione divinâ: atqui homo qui se à Deo missum probat miraculis, non potest in hypothesi Houttevillei miracula cognoscere, nisi revelante Deo; quippè ad id duo requiruntur et sufficiunt. Unum est, quòd homo naturali facultate nequeat prævidere miraculosos effectus; alterum est, quòd neque etiam possit eosdem prævidere effectus virtute dæmonis. Utrumque verò indubitatè est. Et primum quidem, tum quia omnes homines etiam dæcti ita consentiunt illos effectus non posse naturali facultate ab hominè prævideri, ut iidem ab universis habeantur ut extra naturæ cursum constituti; tum quia quò plura et firmiora argumenta in probationem primæ partis responsionis nostræ allata sunt, eò magis certum est à nemine posse facultate naturali eosdem prævideri effectus. Secundum pariter evincitur ex eodem ejusmodi prævisio facultatem naturalem dæmonis, quæ finita est, quæ profectò ad ejusmodi le-

gum adeo reconditarum effectus naturaliter non extenderetur, quæ certò certius nunquam adjuvatur lumine supernaturali, quod ei à Deo concedi repugnat. Præterè, nihil potest exsequi dæmon, nisi Deo permittente. Deus autem permittere non potest ut homines à dæmone in errore de doctrinâ indocantur, cujus detegendi omni medio privarentur.

Dices: Deus agere nequit viis simplicissimis et generalissimis, quin miracula producat ipsis legibus generalibus motuum; ergo.

Distinguo: Si per illas leges motuum miracula possint produci, concedo; si constat miracula esse contra naturæ ordinem, esse motus legibus generalibus motuum contrarios, ut loquitur mox citatus Wollfus, nego.

Inst.: Qui non omnia cognoscit quæ sequuntur ex legibus motuum generalibus, is nequit asserere miracula ex ejusmodi legibus generalibus non sequi.

Nego majorem. Fatemur nihil à nobis posse asseri de iis quæ nos latent, ac non rarò expedire ut maneamus dubii circa facta quedam pro miraculosis venditata, ubi nimirum certiores fieri non possumus utrum fortè effectus ejusmodi sint naturales generalium motus legum consecutiones. Miracula dubia habenda sunt pro nullis, licet de benefico eventu gratiæ Deo agenda sint ab eo qui beneficium consecutus est, quia grates rependendæ Deo etiam pro bono naturali. Verùm, quando ratione evidenti, aut observatione indubitatâ, et experientiâ perpetuis compertum est per leges motuum certis in circumstantiis physicis talem effectum constanter produci, tunc, si aliquando, positus iisdem circumstantiis physicis, mutatisque solummodò quibusdam circumstantiis moralibus, contingat effectus oppositus, prudenter et meritò judicamus ejusmodi effectum ex legibus generalibus motuum non sequi, nec ratiocinamur ab ignoto, sed à veritate notissimâ certissimam conclusionem eruiamus. Neque ad agnoscendum illâ methodo accuratè sciri quinam effectus stupendi et sensibiles spectari debeant ut miraculosi, seu ex legibus motuum non consequentes, aliud requirunt, quàm illa expendi facta et circumstantias factorum quæ in Scripturis et historiâ ecclesiasticâ narrantur et pro miraculosis indubitatè habentur.

Propositio II. Aliqua tribuenda est angelis potentia naturalis movendorum corporum, sed finita et pluribus modis restricta.

Probat 1^a pars, quia ordo immutabilis postulat ut Deus conditor universitatis rerum quæ inter se connexæ sunt, et idè unicum mundum, seu unicum opus constituunt, rationem habuerit excellentiæ angelorum, quæ sunt substantiæ nobiliores corporibus. Deus enim ordinem immutabilem summè et necessariò diligit, et ejus rationem non potest non habere, cum se ipsum amore necessario prosequatur, atque in cognitione comprehensivâ et amore intensissimo sui ipsius sita sit ejus beatitudo essentialis. Ordo autem immutabilis situs est in relatione minùs perfecti ad magis perfectum fundatâ in ipsis rerum essentiis quas ipsaemet Dei substantia repræsentat, quatenus in

eo sunt omnium rerum possibilium ideæ. Itaque rerum quas creavit, universitatem ita ordinavit Deus, ut substantia nobilior sit supra minùs nobitem collocata, et in eam agere valeat. Hoc ipso igitur quò ponimus angelos à mundi Conditorè creatos, uti nos docent Scripturæ et traditio, debemus etiam eos statuere supra naturam corpoream constitutos, istamque dicere natam moveri ab angelis, seu ab iis è loco in locum transferri; quippè, cum naturæ angelicæ quam esse creatricem repugnat, nulla alia inesse queat in naturam corpoream potentia, nisi quæ corpora moveat, seu è loco in locum transferat.

Nec dicas angelum, utopotè substantiam spiritualem, non posse agere in corpora quæ tangere non potest. Nam Deus virtute propriâ agit in materiam, et vi pollet corpora movendi, non quidem contactu materiali, seu extensionis, cujus partes substantiales sint extra se invicem posita: Deus enim est substantia simplicissima; non instar molis agit, sed contactu, et aiunt, virtutis summæ, id est, voluntate omnipotentissimâ quæ sine labore effectum assequitur: *Quoniam*, ut ait Psaltes regius 32, 9, *ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt*. Similiter angelus, servata proportione debita, posset movere corpora, non quemadmodum corpus motum in aliud impugens ipsi motum contactu communicat, sed virtute movendi, cujus cum creato, Deus emendem fecisset partemque, quemadmodum et vim intelligendi et vim volendi creatione ipsi etiam impertivit.

Nonne humana mens, etsi non modò planè immaterialis, sed et verè ac propriè spiritualis, sui intellecta et voluntate prædita, habet vim proprii corporis movendi, et mediatisque corporis proprii motibus, motum localem corporibus à suo discretis quoque imprimendi?

Frustrâ post Mallebranchium et Cartesianos complures contenderetur omne ens finitum desitui vi quavis propriâ agenda ad extra. Ut quid enim assereretur repugnare, quòd ens quodcumque finitum modo imperfecto participet vim activam propriè dictam quæ Deo inest in summo grado? Ratio quam alicubi affert Mallebranchius, nempe connexionem inter actionem agentis propriè dicti et effectum debere esse necessariam seu essentialem, alioqui non sequeretur effectus; proindè, si actio alicujus entis finiti esset propriè dicta, jam effectus impediri nunquam posset, quod absurdum est: hæc ratio, inquam, nulla est. Enimverò, licet satis explicari nequeat in quo consistat actio, attamen ejus notio aliqua generalis omnibus inest, nec quidquam vetat dici actionem agentis finiti utopotè virtutis finitæ, non posse esse ita connexam cum effectu, ut illum necessario quicumque in circumstantiâ obtineat, etiamsi obsit vis major, et tanta quanta est actio potentia summæ. Facile concipitur connexionem inter actionem entis finiti et effectum semper esse quasi conditionatam, seu eam solummodò esse effectum certè consecuturam, cum actio entis potentioris non obsistat.

Cæterùm, dicatur causas secundas, seu entia finita

que Deus creavit, esse causas propriè dictas, et virtute sibi propriè agere, vel eadem non esse nisi causas occasionales effectuum extra se positorum, parùm interest quantum ad questionem presentem attinet. Perinde certum manebit naturæ angelicæ præstantiam supra naturam corpoream exigere ut angeli movere possint corpora, seu tanquam causa virtute propriè agentes, vel tanquam cause occasionales motuum, quas in eo constituit decernunt quòd Deus lege generali statuerit movere corpora ad præsentiam volitionis angeli, id est, ubi hoc vel illud corpus isto vel illo modo moveri vult angelus: quemadmodùm ubi homo aliquis vult movere brachium, sine morâ membrum illud movetur.

Probatür quarta pars, nempe illam angelorum potentiam movendi corpora esse angelis naturalem. Namque potentia, quæ est appendix naturæ angelicæ, dicenda est ipsi naturalis: atqui, ut probatum est modò, natura angelorum postulat ut movere possint corpora, quia substantia angelicæ præstantior est naturâ corporeâ; ergò.

Probatür tertia pars, nimirum hanc potentiam angelorum esse finitam; potentia si quidem entis finiti, creati, finita sit necesse est: atqui angeli sunt entia finita, creata; ergò.

Probatür quarta pars, videlicet illam naturalem angelorum potentiam movendi corpora, esse multis modis circumscriptam. Enim verò, licet accuratè definire non possimus quousque naturalis potentia angelorum extendatur, attamen certi sumus naturam corpoream angelis non subjici ad naturam, ut ait S. Thomas, primâ parte, q. 110, art. 2. Non sanè possunt naturaliter angeli ita movere seu corpora ingentia, seu particulas elementares corporum, ut totum vi sibi naturali valeant perturbare ordinem physicum quem Deus instituit et conservare decrevit. Neque igitur moles corporeas ingentis magnitudinis dimovere: aliqui possent terram, v. g., transferre ad tantam proximitatem solis ut brevi destrueretur. Ponamus ab iis terram transferri usque ad Mercurii orbitam. Clarissimi Newtonis experimentis et calculis constat tunc futurum ut pro ratione habitudinis et indolis corporum ex quibus coalescit, experiretur calorem qui ad inferefaciendam aquam sufficeret; et quo proinde cuncta interiret: pariter, si removeretur à sole usque ad orbitam Saturni, aut Jovis, vel etiam Martis, vi frigoris omnes ejus incolæ et plantæ necarentur, et inhabitabilis fieret.

Non possunt pariter angeli potentia sibi naturali, ita agere in corporum elementa, ut corpora immediatè transformant aut alterent, seu ut in ea inducant immediatè alias formas essentielles, aut etiam alterationes accidentales. Non possunt naturali suâ virtute incendere lignum, illud convertere in fumum et cineres, nisi quatenus habent potestatem naturalem tranferendi corpus igne succensum, et illi ligno advovendi. Non possunt generatim transformationes aut alterationes producere, nisi, ut aiunt, applicando activa passivis, id est, corpora ad has transformationes aut al-

terationes inducendas idonea, applicando corporibus que iis formis aut alterationibus recipiendis apta sint. Pendet exercitium potestatis eorum in naturam corpoream quantum ad formas et alterationes in varia corpora admittendas, à legibus quas Deus instituit circa illarum mutationum introductionem.

Hinc non possunt novas rerum corporearum species procreare, ut reipsâ nulla procreatae sunt ab origine mundi, uti fateatur omnes rerum naturalium observatores oculatissimi. Si possent ad nutum immediatè quas vellent inducere in corpora quævis formas quaslibet, possent igitur totius rerum corporearum universitatis faciem immutare, alterius generis corpora iis substituendo, ex quibus hanc universitatem componi Deus instituit, ita ut materia sola quam Deus creavit, maneret perenniter, cujus singule partes in alterius speciei corpora compingerentur quàm illa, quæ Deus voluit juxta leges à se constitutas sibi perpetuò succedere. Non essent quidem propriè loquendo creatores angeli, sed essent auctores ordinis in materiam eatenus introducti quatenus ex eâ corpora diversi generis conficiuntur et coalescunt. Neque jam in ordine illo deprehenderentur illa uniformitas et constantia quæ fert characterem immutabilitatis divinx; neque etiam pulchritudo et harmonia, cum angeli, quocumque intelligentiâ polleant, impares tamen sint ad intelligendos simul omnes et singularum rerum corporearum possibiles respectus, sine quâ tamen cognitio perfectâ nequeunt illa pulchritudo et harmonia induci; neque demùm unitas operis et singularum rerum corporearum cum reliquis connexio, cum unitas ejusmodi et nexu non possint à multis auctoribus oriri, sed ab unico tantùm potentissimo simul et intelligentissimo.

Pro certo igitur et inconcusso maneat angelis non inesse potentiam naturalem formas aut etiam alterationes in corpora immediatè introducendi.

Equiparanda est potentia naturalis angelorum in corpora, ad potentiam quæ in corpora inest anime hominis. Anima humana potest immediatè movere membra corporis proprii cui unitur, sed non potest illa immediatè seu transformare, seu etiam alterare. Potest etiam, medianibus corporis sui membris, plura alia corpora agitare, transferre, modò non sint tantæ molis ut vires ejusdem corporis sui superent. Potest applicando activa, ut aiunt, passivis, ope illorum in ista inducere varias formas et alterationes. Ita angeli possunt quidem aliquam materiam quantitatem movere, sed non omnem, non ingentem: possunt alterationes aut etiam formas essentielles in corpora quædam introducere, sed non immediatè et ad nutum, non aliter quàm utendo corporibus ad formas ejusmodi aut alterationes inducendas idoneis, quæ admoveant ad corpora alia iisdem recipiendis accommodata.

Nec interest, quantum ad rem de quâ agitur, utrum angeli agant virtute propriâ in materiam, vel solùm modò occasionaliter. Nam, quemadmodùm concipiatur vim propriam quâ præditi supponerentur angeli, ut-

potè finitam, non extendi nisi ad certos quosdam effectus producidos: ita quoque faciliè concipitur ad volitiones quas eliciunt circa movenda corpora, Deum non operari nisi prout decrevit secundum consilia sapientie suæ, statuendo leges ad ordinem universi spectantes. Frustra vellent inducere immediatè formas aut alterationes quasvis in aliqua corpora, si eorumdem volitionis Deus non instituit ejusmodi formarum aut alterationum introductionis occasionales causas.

Restricta igitur seu circumscripta censenda est potentia naturalis angelorum circa res corporeas ratione objecti, tum quatenus non possunt immediatè transferre nisi molem aliquam materic fixam à Deo creatore et ordinatore atque determinatam, tum etiam quatenus non possunt immediatè formas aut alterationes inducere in corpora, sed tantùm quatenus corpora iis inducendis formis aut alterationibus accommodata advovere queunt ad corpora que iisdem admittendis nata sunt.

Atque hæc quidem circumscriptio in illâ eorum potentia naturali eò magis adhiberi necesse est, quòd 1^o ratio propter quam aliqua naturalis facultas movendi corpora attribuenda est angelis, nempe eorum naturæ præstantia supra naturam corpoream, nihil aliud exigit quàm facultatem e loco in locum transferendi certam quandam materic molem determinatam, quo motu valeant activa applicare passivis, et sic in corpora varia inducere varias mutationes; quòd 2^o nisi eadem potentia circumscriptur, ut diximus, nimia foret, uti ostensum est, et totius universi ordinis perturbando et immutando par esset; quòd 3^o licet posse esse angelos lumine naturali cognoscimus, attamen ipsos existere ratio nos non docet: ex revelatione divinâ solùm cognoscimus eos à Deo esse creatos et aliqua ab ipsis produci: que fiunt ab angelis bonis ratio sola nos non cogit eadem ipsis adscribere, quia possent illa à Deo uno proficisci. Soli quidam eventus qui nec naturæ corporeæ, nec hominibus quorum vim superant, neque angelis bonis, neque Deo attribui possunt, nobis prout ratione solâ utentibus indicare possunt existere substantias aliquas distinctas et à Deo et ab angelis bonis, que sint ejusmodi effectuum cause. Ex verbo Dei autem discimus ejusmodi causas seu substantias esse angelos malos quorum voluntas peccato est corrupta, et quibus propter peccatum in quod sua culpâ inciderrant, non est ablata facultas naturalis movendi corpora quâ poluere ab ortu, sicut neque etiam propter idem peccatum ipsis est ablata facultas intelligendi et volendi, ut ait sanctus Thomas. Porrò, inter varios illos effectus qui sive in Scripturis, sive in historiis fide dignis, attribuantur angelis seu bonis seu malis, nullus deprehenditur qui postulet angelis concedi naturalem potentiam immediatè in corpora ulla formas, aut etiam alterationes inducendi, aut ingentem aliquam materic molem simul transferendi.

Itaque sine ullo fundamento, sine ullâ verisimili-

tudine, imò contra manifestam rationem petitam ab ordine constanter observato in rerum universitate, tribueretur angelis illa naturalis potestas quam ipsis denegamus.

Tertiò. Aliis adhuc modis restricta dicenda est potentia naturalis angelorum circa motum corporum. Nempe quantum ad angelos bonos, cum eadem auctoritate quæ cognoscimus eos existere et plura operari, nempe auctoritate verbi Dei, certum est sinns eos visione Dei intuitivâ et amore ejus summo esse beatos, nec proinde unquam recedere posse ab ordine immutabili quem in ipsamet substantiâ divinâ clarè contemplantur, constat eorum potentiam naturalem circa corpora eatenus esse circumscriptam quatenus nunquam possunt eâ abuti; sed eam non adhibent, nec adhibere possunt, nisi prout magis expedit gloriæ Dei et ejus attributorum manifestationi. Quancumque sit eorum potentia, licet à Deo cui constanter serviunt et addicuntur iis concederetur potentia quæcumque etiam supernaturalis, metendum non esset ne interturbarent ordinem mundi physicum quem Deus vult stare, neque etiam ordinem socialem inter homines, qui pariter à Deo oritur, et quem conservari intendit. Hæc circumscriptio potentia angelorum non est ipsi oneri, sed gloriæ; non est imperfecto, sed honor; non est peena, sed premium, eorum summe beatitudini necessariò annexum.

Quod ad angelos malos, seu demones attinet, potestas naturalis movendi corpora, quam, ut dictum est peccando non amiserunt, restringitur in penam peccati, et ne ordinem physicum perturbent, et ordinem societatis subvertant. Non solùm nulla unquam ipsis à Deo conceditur potentia supernaturalis in naturam corpoream; repugnat enim eos aliquando dono aliquo supernaturali ornari, sed etiam potentia sibi naturali quam explicavimus, non utuntur ad libitum. Nihil possunt operari nisi permittente Deo, qui maximè facilitate et sine ullo labore impedire valet quicquid moliri intendunt. Neque ut eos coercet, necesse est Deum agere ut causam specialem. Satis providit eorum potentia restringenda per angelorum bonorum potentiam oppositam, qui adversus eos pugnant et semper eos vincunt, nisi ubi ordo immutabilis postulat aliquid eis permitti. Hinc rarissimum est aliquid à malis angelis fieri quod sensibile sit, quod causis aliis non possit attribui, quod sub causarum naturalium influxu non lateat, quod ab ejusmodi angelis malis oriri ratio et experientia agnosceret nos cogant. Possunt angeli mali tentare homines, et sapè eos tentant; sed id ex verbo Dei nobis notum est, non ex ratione et experientia cum tentationum cause aliæ etiam assignentur. Unde Jacobus Epistola suæ capite 1, versu 4: *Unusquisque, inquit, tentatur, à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus*. Statendum igitur potentiam dæmonum circa motum corporum ita esse restrictam, ut plerumque non producat effectus sensibiles, nec unquam metendum sit ne eâ ordo physicus perturbetur, aut socialis subvertatur.

Propositio III. Possunt demones potentia sibi na-

turali producere effectus legibus motuum derogantes, seu effectibus ejusmodi legum oppositos.

Probatur 1^o, quia id sequitur necessariò ex dictis ad propositionem præcedentem, nempe angelis malis inesse aliquam vim naturalem transferendi corpora. Nam supponamus in corpus aliquod dæmonem agere quantum ad ejus motum attinet: vel illud à dæmone moveretur secundum determinationem diversam ab eâ quam exigenter leges communicationis motuum, tunc verò produceretur à dæmone effectus legibus motuum derogans, seu effectus oppositus illi qui sequeretur ex legibus motuum; vel moveretur secundum eandem determinationem, sed velocius aut tardius quam moveretur consequenter ad solas leges motuum, et tunc haberetur etiam effectus diversus ab eo quem leges motuum producerent; vel corpus idem moveretur à dæmone, dum leges motuum illud quiescere postularent; vel ab eodem sisteretur, dum juxta leges motuum illud deberet moveri; in quibus in casibus haberetur etiam effectus alii ab iis qui vi legum motuum fierent; ergò ex dictis de potentia naturali dæmonum movendi corpora, sequitur manifestè eos potentia sibi naturali posse producere effectus legibus motuum derogantes, seu effectibus ejusmodi legum oppositos.

Probatur 2^o ex iis que in Scripturâ et in traditionis monumentis leguntur circa potestatem tentandi homines quam exercet dæmon. Non enim infelicis illa potestate utitur, nisi quatenus immediatè vel mediatè agit in hominum corpora. Confirmatur ex tentatione Evæ per serpentem, rehatà capite 3 Genesios, ubi notant interpretes Moysen ibi voluisse per serpentem externum intelligi etiam internum serpentem qui est diabolus: *Serpente autem naturali et externo usum esse diabolum tanquam instrumento; illumque serpentem locutum esse humano more, diabolo movente ejus linguam.* Ita habent annotationes Vatabli, edit. Par. 1729; his adde que Matth. 4 dicuntur de Christo ipso qui semetipsum permisit à diabolo tentari et transferri.

Probatur 3^o ex iis que in ipsis novi Testamenti libris narratur de energumenis seu à malo dæmone obsessis et vexatis, quos Christus refertur liberasse, aut apostoli nomine Christi sanaverunt.

Probatur 4^o ex prodigijs que malefici Pharaonis leguntur Exodi 7 et 8, edidisse, et Moysis miraculis objecisse, ita ut tamen, quòd non potuerint plura istius miracula divina imitari, coacti sint *digitum Dei* in istis signis agnoscere. Certè, qui ejusmodi ostenta magorum Pharaonis contenderent nihil aliud fuisse quam præstigias dæmonum, in iisdem nihilominus fatentur deberent deprehendi effectus legum motibus derogantes, quatenus aut sensus alio modo fuissent affecti quàm consequenter ad leges generales motuum affecti fuissent, aut substitutione corporum in aliorum locum peractâ celerrimè, illa visa fuissent immutata.

Probatur 5^o ex signis que, Matth. 24, 24, Christus prænuñtiavit à pseudochristis et pseudoprophetis versis mundi finem edenda esse.

Probatur 6^o ex traditione cujus testimonia referri necesse non est, cum nullum de eâ dubium moveri possit.

Propositio IV. Quædam opera prodigiosa fieri non nunquam possunt à dæmone ad seducendum seu in gratiam erroris, nec repugnat inter ejusmodi opera aliquas reperiri morborum quorundam sanationes.

Probatur prima pars ex his Christi verbis, Matth. 24, 24: *Surgent pseudochristi et pseudoprophete, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Et Marci 13, 22: *Exsurgent pseudochristi et pseudoprophete, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.* Quibus collimant ista S. Pauli, Thessalon. 2, capite secundo, loquentis de homine peccati revelando antequàm instet dies Domini: *Revelabitur, inquit, illi iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum: cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigijs mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fereant. Ideò mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Eadem prima pars 2^o probatur ex sanetis Patribus.

Cum miracula apud se patratâ objicerent hæretici atate Tertulliani, de facto illo non disputat, sed capite ultimo libri de Præscriptionibus, sic respondet: *Quasi hoc prædictum non sit, venturos multos qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam munitam corruptæ predicationis.*

Similia leguntur apud S. Cyprianum, libro de Unitate Ecclesiæ; apud S. Augustinum agentem adversus Donatistas, et apud alios plures.

Idem confirmatur quòd S. Patres dæmoni tribuerent prodigia que apud se patratâ pagani venditabant.

Prob. secunda pars, quia non magis repugnat ejusmodi sanationes à dæmone fieri ad seducendos homines, quam alia quælibet prodigia. Nam, si id magis repugnaret, vel propter operis difficultatem quòd videretur dæmonis potentiam naturalem superare, vel quia sanatio alicujus morbi est beneficium quoddam homini qui curatur concessum, dæmon verò censeretur nequam velle hominibus aliquod beneficium imperitari; vel quia bens id nunquam permetteret: at qui triplex illa ratio nulla est. Non prima, siquidem evidens difficultiorem non esse sanationem morborum plurimorum quam prodigia aliqua que à dæmone esse edicta colligitur ex Scripturis. Non secunda, nam, etsi dæmon nolit hominibus benefacere, atque, juxta S. Augustini doctrinam, sermone 242 de Tempore, velle potest eos à morbo sanare ut eos magis decipiat. Non denique tertia, nam facta esse aliquas ejusmodi sanationes à dæmone ex historia ecclesiastica deducitur. Deinde non magis sanè repugnat permitti à Deo aliquas ejusmodi sanationes à dæmone edi ad homines seducendos, quam repugnat permitti ut à dæmone edantur alia signa et prodigia, quibus

si fieri posset seducerentur electi: atqui tamen aliquando fiunt prodigia et signa quibus, si fieri posset, seducerentur electi. Ita prædictum à Christo locis modò adductis. Horumque verò prodigiorum et signorum ad seducendos homines patrandorum auctor solus futurus est dæmon. Præterea demum permissio de quâ agitur, nihil habet quod Dei veritatis et bonitati adversum sit, cum ex hypothesi daretur medium detegendi erroris, nempe prædictiones ejusmodi tentationum et Ecclesiæ auctoritas, ut dicitur: consentit verò justitie divine que postulat ut ii seduci permittantur, qui volunt seduci.

COROLLARIA.

Primum. Cum dæmones nequeant potentia sibi naturali producere immediate formas essentielles, aut etiam alterationes corporum, sed tantum agentia materialia iis inducendis idonea applicando corporibus que iis formis, aut alterationibus recipiendis apta sunt, sequitur eos non posse inducere ulla formas aut alterationes, que vi legum motuum et agentium materialium induci nequeant, nec posse ab iis immediate induci illas transformationes, aut alterationes; adeoque ejusmodi effectus non posse nisi à Deo oriri, agente vi propria, et vel per specialem voluntatem nullâ causâ occasionali determinatam, vel per voluntatem generalem determinatam volitionibus, seu desiderijs, aut precibus, seu angelorum honorum, seu sanctorum quorundam hominum, quibus hoc donum supernaturaliter concesserit ut ad eorum desideria, seu preces, quædam ipse miracula ederet. Enimverò absurdum foret dici aliquam facultatem supernaturalem, aliquod supernaturale donum dæmoni à Deo concedi: proinde quod dæmon non potest naturaliter, ab eo fieri nunquam potest. Sed nihil vetat quominus angelis bonis qui nihil velle possunt nisi quod ordini conforme est, concedat ad eorum desideria, seu preces, produci miracula, ita ut ejusmodi miraculorum divinorum angeli sint cause morales et occasionales, quemadmodum apostolis virisque apostolicis donum miraculorum impertivit.

Secundùm. Ex stabilitis propositionibus sequitur pariter que sit genuina miraculi definitio. Nempe miraculum generatim est effectus sensibilis, rarus, stupendus, ex legibus communicationis motuum non consequens, et ab agente homini superiore profectus.

Duplex autem distingui debet: aliud propriè dictum et divinum; aliud improprie dictum quod angeli, seu boni, seu mali, potentia sibi naturali supra naturam corpoream producere possunt.

Miraculum propriè dictum, seu divinum, superat omnem potentiam causarum secundarum, ac proinde à solo Deo produci potest. Nempe miraculum ejusmodi situm est in effectibus sensibilibus, raris, stupendis, qui à causis materialibus non possunt produci, nec proinde naturaliter à causis immaterialibus finitis, ut dictum est; ergò à solo Deo possunt produci.

Illi autem effectus vel in se superant omnem potentiam causarum materialium, vel etiamsi illam in se sumpti non superent, atamen eo producuntur

modo quo à causis materialibus non possunt produci. Hinc miracula divina distribuuntur in divina quantum ad substantiam, et divina quantum ad modum. Divina sunt in se, seu quantum ad substantiam, quando consistunt in inductionibus formarum, aut alterationum que nunquam induci possunt per causas ulla materiales: puta restitutio, seu reparatio organorum corporis mortui, uti contigit cum floruit virga Aaronis, cum Lazarus à mortuis resurrexit. Divina autem sunt quantum ad modum, cum sita sunt in transformationibus, aut alterationibus immediate inductis, que tamen absolute induci potuissent actione quarundam causarum materialium, applicando activa passivis.

Ibi in memoriam revocandum est quod jam à nobis observatum fuit, scilicet illas distinctiones habere locum, sive cause secundæ ponantur vi propria cause ad extrâ, sive statuantur merè occasionales cause. Etenim, posito systemate causarum occasionalium, ubi natura alicujus entis postulat illud ipsum ens institui causam occasionalem aliquorum effectuum, tunc eorundem effectuum naturalis causa illud idem dicendum esset, cum ejus nature anoxum sit quòd illorum causa occasionalis fuerit institutum. Sic angeli dicendi essent, posito enim illo systemate, potentia sibi naturali pollere circa translationem, seu motum illarum nature corporeæ partium, quas, uti explicatum est, movere possunt.

Tertium. Cum dæmonibus insit naturalis potestas movendi corpora, idè sequitur eos posse plura etiam divina miracula imitari, dolis nimirum ac fallacijs, seu præstigijs, quatenus celerrimè valeat unum corpus transferre, et in alterius locum quòd parè celeritate amoveretur, substituire. Tunc enim istud videbitur in illud immediate mutatum. Sic à pluribus explicatur quod Exodi 7 legitimus, virgas maleficorum, seu incantatorum Pharaonis, eorundem incantationibus fuisse in colubos versas, quos devoravit virga Aaronis, ut jam notum fiet quâ parte staret veritas.

Quæres 4^o quomodò prodigium diabolicum à miraculo divino aut angelico discernatur?

Respondeo inspectis substantiâ operis, fine, circumstantijs, juxta certas regulas, prodigium diabolicum à miraculo divino aut angelico discerni.

Nam, vel opus in translatione, seu transformatione immediatè esse situm certò dignoscitur, ita ut peractum sit sine causarum materialium subsidio, puta quod earum activitatem superet, nec proinde ullus esse poterit substitutio, aut merè apparentia locus; tunc autem opus illud, ut ex dictis sequitur, miraculum erit propriè dictum, seu miraculum divinum, à solo Deo productum, nempe à potentia naturali dæmonum, vel etiam à potentia naturali angelorum honorum prodire non potest, cum potentia naturalis dæmonum, ut ostensum est, ad ejusmodi effectus non extendatur; neque etiam possit potentia sibi naturali quidquam simile exsequi ipsimet angeli boni, licet per potentiam supernaturalem sibi concessam isti valeant aliquando opus eju-

modi facere ut cause morales et occasionales, quemadmodum expositum est : quo in casu miraculum semper erit divinum, sicut divinum dici debet miraculum ejusmodi à viro apostolico productum, seu impetratum à Deo per potentiam illi homini minimè naturalem.

Vel effectus prodigiosus consistit solummodo in merà apparenti aut substitutione, vel in transformatione hominis quidem naturalem potentiam superante, nec ex legibus communicationis motum consequente, sed tamen causarum materialium viam minimè superante, ita ut ex applicatione activorum passivis prodire poterit : tunc verò ex inspectione solius substantiæ non poterit concludi effectum esse miraculum divinum ; quia nempe potentiam naturalem non modo angeli boni, sed etiam demonum opus ejusmodi prodigiosum non excedit.

Quòd si dubitandum sit an opus sit prioris generis, vel istius, dubitandum quoque erit, solius operis inspecta substantià, an à Deo, an à potentia naturali angeli boni, an à dæmone proficiscatur ; ita ut ad judicandum eundem effectum non oriri à dæmone, perpendi debent adjuncta, seu circumstantiæ et finis, ut modò exponetur.

Jam porrò inter effectus prodigiosos dari et contingisse aliquos soli Deo, non verò dæmoni, neque etiam potentia naturali bonorum angelorum, solà operis inspecta substantià, tribuendos pro comperto et indubitato habendum est. Sic se habuit, v. g., resurrectio Lazari jam factus. Nam ad eum suscitandum, 1^o refecti corporis ejus organa jam corrupta necesse fuit, quòd vim nature totius materialis, adeoque potentiam demonis et potentiam naturalem angeli boni exsuperat ; 2^o ejusdem anima à corpore cui conjungebatur, separata, eidem corpori denuò unita est, quòd à solo Deo fieri potuit. Lex quidem generalis à Deo constituta est ut, ubi corpus infantis, quantum satis est, formatur, ei illic uniatur anima humana, quæ illud informat ; sed nulla profecto est quæ constitutum sit, ut si corporis alicujus organa quæ fuerant morte destructa, resarciantur, hoc ipso eadem anima humana ipsi denuò conjungatur. Id non fit consequenter ad legem generalem, sed per voluntatem Dei specialem, seu per miraculum insigne quòd ipsi soli tribui potest. Nec sanè metuendum ne fiat in simili casu aliqua substitutio ; quòd posita, non esset idem individuum, nec ejusdem individuationis sensus ; præter resurrectiones mortuorum plura alia exempla effari possunt ; sed de his impræsentiarum non agitur.

Ut autem dignoscatur quandomam ab angelo bono, quandomam ab angelo malo miracula secundi generis procedant, considerandum est omnia ab angelis bonis ad ordinem dirigi, quem regulam actuum suorum immutabilem semper sequuntur. Proinde quicquid ab iis efficitur, tum in se, tum ratione adjunctorum et finis ordinatum est, ita ut approbante et volente Deo effectus ejusmodi dicendus sit producti.

Contrà verò quòd ab angelis malis patratum, id ad

deordinationem tendit, proinde à Deo non approbatur, sed solummodo permittitur, sicut ab ipso volunt non est peccatum, sed duntaxat permissum propter rationes sapientiæ ejus altissimas quas proni adorare debemus, non curiosos scrutari, ne opprimamur à gloria.

Ex duplici illo evidenti et certissimo principio, non minùs perspicuè et indubitate colliguntur regulæ quibus prodigia, quæ jactarent aliqui tanquam miracula à Deo perpetrata, aut saltem ab angelis bonis producta et à Deo approbata, nonnisi à dæmone proficisci certò cognoscantur.

Nimirum primò, vel opus de quo inquiritur an miraculosum sit, in se est indecens et vitiosum, vel nihil in se indecentis, et vitiosi continet. Si primùm, à Deo et ab angelis certo certius non producitur, proinde si tale sit ut neque à legibus motuum naturalibus consequatur, neque humanà vi et industrià perfici queat, sine hesitatione decernendum est illic nonnisi à dæmone oriri. Hinc famose ille convulsiones, de quibus nostro hoc seculo tot sermones sparsi totque scripta vulgata, præposterè à multis appellantium jactate sunt tanquam miracula in sue cause patrocinium edita : non adeò indecora in se erant et vitiosa illa opera ut, si quid prodigii quorumlibet hominum vires et artem superantis includerint, soli dæmoni debeant adscribi. Nec aliter de iis censurè ipsi appellantium celeberrimi, triginta scilicet doctores, qui famose subscripserunt consultationi ; *Duguet* etiam, ut patet ex scriptis domine *Mol.*, ipsius nepitis, et ex epistola quam idem, quo tempore de convulsionibus aperi coeptum est, ad unum è professoribus Oratorii scripsit.

Ubi autem opus quòd miraculosum pretenditur, non est indecorum et vitiosum in se, inspicienda sunt adjuncta, seu circumstantiæ quibus, seu physicè, seu moraliter, seu utroque modo connectitur. Si vitiose ille sunt et proscribendæ, tunc ipsum opus inficium et contaminatum, Deoque et bonis angelis indignum reddunt ; ita ut si vires et industriam hominum superet, nec à legibus motuum oriri possit, dæmoni attribui debeat. Hinc curationes morborum quoque idem appellantes tanquam totidem miracula divina objecerunt, si in se considerate, neque à legibus motuum, neque ab hominum industrià et viribus poterint proficisci, solum dæmonem habere auctorem, non Deum, non aliquem angelum bonum ; utpote cum convulsionibus connexe, tanquam causas physicis, si multis relationibus habeatur fides ; vel saltem moraliter, cum ad eundem scopum tenderent.

Ubi porrò ageretur de opere circa quòd idem perhiberetur, quòdque nec in se, nec in suis circumstantiis posset vituperari, inspicitur ejus origo seu principium. Si enim à cultu superstitioso proveniat, non est miraculum divinum, neque auctor ejus est angelus bonus. Idem statuendum, si ex insigni temeritate, ex illo peccato, quòd tentatio Dei appellatur, procedat. Atque vel hæc sola ratio sufficeret ut in auxiliis illis ad interficiendum aptis, quæ à pluribus convul-

sionariis postulabantur et iisdem ministrabantur, si nihil fraudis fuerit, pro indubitato habendum esset nihil prodigiosi contingere potuisse quòd Deo aut angelo bono assignaretur. Namque soli dæmoni potest adjudicari ostentum quòd vires humanas vincit, à legibus motuum non oritur, et simul actionem consequitur quæ tentatur Deo. Præterea, quando prodigium nec in se, nec in suis circumstantiis, nec in sua origine quicquam continet propter quòd reprobandum sit, non idcirco divinum censendum est, aut ab angelo bono productum. Attendendum quoque fine fiat, seu quò tendat, an majoribus miraculis adversetur, aut auctoritati miraculis jam firmatæ, et quæ agnoscenda sit ; utrùm etiam doctrina in cujus confirmationem producitur, sit certò vera, aut dubia, aut certò falsa.

Quæcumque ostenta impugnarentur prodigiis aliis seu miraculis numero et splendore superioribus, faciliè discernentur à divinis, quibus superari ponuntur, neque oriri possent nisi à dæmone, ubi nec à legibus motuum, aut à viribus, aut arte hominum oriuntur. Hinc cum tanta fuerint miracula Moysi, ut ipsi Pharaonis magi fateri coacti sint in ejus operibus esse *digitum Dei*, sequitur prodigia quibus idem incantatores vim miraculorum Moysi infringere conati sunt, fuisse opera aut præstigias dæmonis. Hinc quæcumque prodigia opponant seductores, et in sue cause patrocinium edia ostentare valeant, nihil apud sinceros ac prædentes fideles proficiunt, quia seductionis ostenta Ecclesiæ catholicæ fidem et unitatem impugnant, cujus auctoritas est innumeris constabillita miraculis, nempe Christi, Apostolorum, virorum apostolicorum, etc., et prophetiis firmata. Hinc quæcumque futura sint signa et prodigia quæ Christus prædixit ab antichristo versis seculi consummationem patranda, attamen nemo iis nisi suà culpà decipietur, non modò quia tunc fient miracula potiora in testimonium veritatis, sed etiam quia prodigia antichristi prædicta sunt à Christo, qui monuit ne iis crederetur, qui eadem miraculis suis et apostolorum suorum aliisque in antecessum revocit, quibus ita firmatur auctoritas Ecclesiæ catholicæ, ut hæc ipsa sola satis futura sit ad, hisce calamitosis temporibus, posthabendas partes antichristi et fidei Ecclesiæ catholicæ firmiter inhaerendum.

Consideranda quoque doctrina ad quam confirmandum prodigium editur. Si certò cognoscatur esse vera, pro comperto habendum miraculum in gratiam ejus patratur esse divinum, aut saltem ab angelo bono productum. Si certò et indubitanter falsa sit, prodigium quòd illi favet neque à Deo, neque ab angelo bono potest oriri. Unde fit ut miracula quæ in sinu Ecclesiæ fiunt, ex ejus auctoritate vera esse dignoscantur. Tandem, si doctrina in se spectata neque vera, neque falsa esse sciatur, sed dubia sit, et in ejus veritatis confirmationem edatur miraculum cujus vim nihil infringat, tunc ejusmodi miraculum adscribendum Deo, aut saltem angelo bono, ita ut illam doctrinam esse veram eo ostendatur et declaratur. Ratio est quia

miraculis homines mirum in modum commoveant et ad credendum inclinantur ; nullamque in hypothesei de quò agimus, Deus suppeliaret medium detegendi erroris.

Plurima de hæctenus dictis circa miracula legi possunt utilia, et doctrinæ sanctorum Patrum ac theologorum consentanea, in ultimis Latastii litteris theologis. Notantur hæc voces, in *ulimitis*, nempe in prioribus aliqua sunt quibus non assentimur.

Quæres 3^o utrùm miraculis juxta regulas propositas discretis insit magna vis ad probandum ?

Respondeo inesse maximam.

Probat ex Scripturis. Joan. 13, 24 : *Si opera, inquit Christus, non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Ad quæ verba sic habet Paschalis Cogitationum titulo 27 : « Censebat ergo Christus miraculis suis certò probari quæ docebant, « tenerique Judæos sibi credere. Ac reipsa Judæi « idcirco præsertim fuisse incredulitatis fontes quòd « miraculis noluerint convinci... Prophetiis solis, à quæ vitam mortalem agebat Christus, non poterat demonstrari eum esse Messiam... isdem ostendebatur « duntaxat eum posse esse Messiam : idipsum verò « conjunctum miraculis eundem reverè esse Messiam « certò efflicabat. »*

Joan. 5, 2 : *Hic (Nicodemus) venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Ubi non judicat de miraculis ex doctrinâ, sed de doctrinâ ex miraculis. Itaque, quamvis doctrina esset suspecta, sicuti doctrina Christi poterat videri suspecta Nicodemò, quòd Phariseorum traditiones videretur destruere, si in hujusce doctrinæ gratiam miracula aperta et manifesta fiunt, evidentiâ miraculi vincit ac superat quicquid difficultatis, ex parte doctrinæ, esse potest, juxta immotum illud principium, Deum non posse in errorem inducere. Hæc idem ibid.*

Addit verò : Tanta inest vis miraculis ut oportuerit Deum monere ne signa et ostenta attendentur, quòd adversus ipsum pugnent. Nempe, tametsi Deum esse planum est atque evidens, attamen ejusmodi portentis homines, nisi moniti, potuissent contumbari. Quapropter tantam ahest ut loca illa capitius 15 Deuteronomii, quibus præcipitur ne audiantur ii qui signis à cultu Dei advertent, et ne istud Marci 13, 22 : *Exsurgent pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos, et alia quædam similia miraculorum ponderi et auctoritatè quicquam detrahant, ut potius quanta sit eorum vis, nihil disertius declarat.*

1 ad Cor. 2, 4, 5 : *Sermo meus et prædicatio mea, inquit Apostolus, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Probat etiam ex traditione, quæ de hoc argumento ex ipsâ religionis christianæ indole miraculis fundatâ ita manifesta est, ut testimonia in hanc rem afferri supervacaneum foret.

Probatum tandem ex ratione, nempe non auctoritate solam, sed experientia indubitata et perpetua constat miraculis maxime inclinari homines ad fidem adhibendam doctrinæ quam miracula confirmant. Tanta est illa hominum inclinatio et pronitas ut eatenus tantum prodigiis fallacibus insit vis temerariis et male affectos seducendi, quatenus lidem præposterè putant prodigia illa esse vera; unde ad seductionem ejusmodi comprimendam et extinguendam satis est fallaciam illorum ostentorum detegi et persuaderi. Si vera igitur miracula, si miracula quæ, spectatâ operis substantiâ, adjunctis rerum, eorum principio et fine, non possunt nisi à Deo, aut ab angelis bonis producta judicari, fierent in confirmationem erroris; Deus qui omnibus providet, censendus esset erroris auctor; quod sanè in Deum, utpote summè veracem, cadere non potest; ergo doctrina in cujus confirmationem fierent ejusmodi miracula non potest esse falsa; ergo vera sit necesse est.

Obijcies. Tanta videtur esse difficultas in miraculis que ab angelis bonis diximus fieri posse, aut etiam divinis secermendis à prodigiis que demon patrare potest, aut saltem à divinatorum miraculorum imitationibus quas præstigie demonum valent exprimere, tantum est periculum ne plerique saltem in eo negotio errent ac decipiantur, ut ejusmodi regulæ circa miracula discernenda habendæ sint tanquam respectu ferè omnium inutilis, et tota de miraculis doctrina, illius secretionis defectu, posthabenda esset et omit-tenda; ergo.

Nego antec. Imò quotquot veritatem recto corde inquirunt, miraculis in ejus confirmationem editis ad eam facillè deducunt, et in eâ confirmantur; nec metuentium ne unquam ab eâ avertantur portentes diabolicis, quibus nemo nisi suâ culpâ decipi potest et ad errorem trahi.

Solus charitatis defectus impedit quominus credantur vera miracula, inquit Paschalius loco mox citato. *Non creditis*, inquit Christus Judæos alloquens, *Joan. 10, 26, quia non estis ex ovibus meis.* Quod verò ad falsa miracula credenda inducit, ipse est charitatis defectus. Pergit idem, juxta illud Apostoli 2 ad Thess. 11, 9, 10, de iis qui *prodigiis mendacibus antichristi seducebantur: Eo quod, inquit, charitatem veritatis non receperunt ut salvi fèrent; ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Et verò, quoties discernenda fuit veritas miraculis, toties tot, tanta et adeò splendida edita sunt in veritatis gratiam, ut si soli eam repulerint, qui voluntariè excæcati sunt: si autem ipsam, etsi simplices et illiterati, certò et securè amplexi sint, qui ex quâ parte staret invenire sincero corde exoptabant.

Quis recto corde præditus non agnovisset inspicendo Moysis miracula Pharaonem et Ægyptios veritati restitisse obstinatos, et Israelitarum causam fuisse à Deo approbatam?

Quis sincerus veritatis amator, expendendo miracula prophetarum et eorum vaticinia eventum comprobata, his potius non adhesit quam Israelitis cultus

Deo vero debiti desertoribus, quam sacerdotibus Baal aliorumque falsorum numinum?

Quis, Christi et apostolorum miracula considerando mente attentâ, et sincero veritatis amore ductus, non facillimè persuasus fuerit eos esse à Deo missos, et eorum doctrinam firmâ fide tenendam præ ritibus mosaïcis aliquandò juxta prophetas et Moysen ipsum cessaturis, et præ insulo idololatrarum cultu?

Quis cordis pariter recititudine à Deo donatus, Ecclesie auctoritatem innumeris Christi, apostolorum, virorumque apostolicorum, etc., miraculis minutam et promissis Christi stabilitam intuendo, eam non anteponat variorum hereticorum, aut schismaticorum erroribus quæcumque industriâ et subtilitate expositis, aut etiam prodigiis que ipsi apud se aliquandò facta esse gloriantur?

Demum, quis sincerus veritatis amator, à verò dimoveri poterit prodigiis seductionis que operabitur antichristus? Que ostenta hoc ipso falsa et mendacia habenda erunt, quòd Religioni et Ecclesie Christi innumeris antecedentibus miraculis nixæ adversa futura sint, quòdque Christus eadem præviderit, ac præcavenda esse monuerit.

Prædicat quidem Christus, *Math. 24, 24*, tantam tunc futuram, ob *signa magna et prodigia*, seductionem, *ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Sed quâ viâ electi se seducti non sinent? An quæ omnes doctrinâ et sagaci ingenio eminebat? Minime. Multi sanè tunc temporis, uti à creatione mundi, inter eos futuri sunt simplices et indocti; sed à seductione cavebunt et salvi fient per *charitatem veritatis* quam non recipient qui in *seductione iniquitatis* peribunt. 2 ad Thess., 2, 10.

Quæres 6^o utrum miracula que diximus fieri posse aut simulari à dæmone in confirmationem erroris, possint ab eo quovis tempore produci?

Respondeo nihil posse dæmonem nisi quod Deus ei permittat. Proinde nihil ad avertendum à veritate, ac errorem persuadendum fieri posse à dæmone, quin Deus tribuat medium detegende veritatis et vitandi erroris, uti jam observatum est, atque omni ætate semper contigit.

Si initio nascentis Ecclesie, dæmon operari non potuisset portenta quibus miracula divina imitatus esset, ut iis prædicationis evangelicæ veritatem impugnet præconumque evangelicorum auctoritatem elideret. Nam in eâ hypothesi meritiò hæssissent suspensæ et accipites, etiam qui ad recipiendas veritates evangelicæ fuissent mirum in modum proni; nec enim datum fuisset medium cognoscendæ veritatis.

At verò postquam Ecclesia adolevit, permixtum est aliquandò dæmoni ut prodigia faceret, aut etiam miracula quædam divina imitaretur in gratiam erroris. Et videtur futurum ut tempore antichristi Deus adhuc majora dæmoni permittat. Nimirum, ubi Ecclesia adolevit, ubi ejus auctoritas est stabilita, jam ipsa est medium quod satis sit ad veritatem detegendam et errores vitandos in quos prodigia dæmonis et ejus præstigie inclinarent. Ostenta illa quæcumque sint, etiam

possent videri plurimâ vi pollere, si sola in se spectarentur, attamen ubi perpenditur iis Ecclesie auctoritatem et documenta concuti, hoc ipso pugnant adversùs miracula omnium seculorum, adeoque non verò nullius sunt roboris, sed nec à Deo nec ab angelis bonis oriri poterunt, et qui iis confidit non nisi in errorem labi potest.

Hinc facillè intelligitur quo sensu sanctus Augustinus adversùs Donatistas dixerit, libro de Unitate Ecclesie, miraculis non manifestari Ecclesiam catholicam, et tractatu 130 in Joannem, non esse credendum Donatistis etiam miracula facientibus: nempe hæc à S. Doctore dicta sunt de miraculis speciatim consideratis, de prodigiis similibus illis que Donatistæ apud se facta esse ostentabant; non verò de miraculis quibuscumque, de miraculorum multitudine et serie, que edita sunt ad veritatem religionis christianæ asserendam et Ecclesie auctoritatem muniendam. De miraculis particularibus et individualis aut idè illa esse approbanda, quia in Ecclesia catholica sunt; rejicienda autem ubi contra Ecclesiam catholicam, extra sinum Ecclesie catholice patrantur. Religionis autem christianæ veritatem, et Ecclesie catholice auctori-

tem non semel miraculis probat et evincit. Vid. lib. 22 de Civit. Dei, et lib. contra Epistolam fundamenti, capitibus 4 et 5. Proinde sententia Ecclesiam catholicam sanctitatem miraculorum denotari.

Eatenus igitur sanctitas miraculorum est Ecclesie verè nota certissima, quatenus in solâ illa Ecclesia verè et in ejus gratiam edita sunt miracula Christi, apostolorum virorumque apostolicorum primis Ecclesie seculis, et in ejus sinu illud idem donum ita permansit, ut, licet deinceps longè rariora fuerint miracula, singulis tamen seculis plura indubitata et conspicua evenierint.

Hæc multum, hæc series, is splendor miraculorum que ad sanctitatem Ecclesie pertinent, notam complectuntur et exhibent manifestam quâ simul persuadent tum veritatem revelationis christianæ, tum auctoritatem Ecclesie cui illa revelatio custodienda commissa est: nec prodigia pretensa que novatores aliquando factarum, nec ipsa portentosa ostenta antichristi, tot et tantis miraculis anterioribus comparata, quidquam continent quo ab Ecclesie fide et unitate dimoveri possit quisquis sincero animo veritatem inquirat, aut eidem jam cognita adhaeret.

HARÆI VITA.

HARÆUS, seu VERHAER (Franciscus), Ultrajecti natus circa annum 1550, postquam sacerdotio initiatus esset, Germaniam Italianque peragravit, ac P. Antonii Possessionis comes secutus est. In patriam redux, Lovanii in ecclesia S. Jacobi canonicus evasit, ibidemque viâ functus est die 11 Januarii, anno 1652.

Edidit 1^o *Annales dæcum seu principum Brabantie totiusque Belgii, Antuerpiæ 1625*, 2 vol. in-fol.; quod quidem opus, tribus partibus constans, maximi fit apud eruditos, utpote diligenti curâ necnon summâ fide elaboratum; 2^o *Concordiam historiarum sacrarum et profanarum, per olympiades et fastos, à Româ conditâ usque ad Christum passum, Antuerpiæ, 1614*, in-fol.; 3^o *De vitis sanctorum omnium nationum et temporum*, Colonia: Agrippinæ, 1605, in-fol.; — 4^o *Biblia sacra cum expositionibus præcorum Patrum litteralibus et mysticis*, Antuerpiæ, 1650, in-fol.

Porro ex his inelucti scriptoris in SS. Libros Incubrationibus, speciale quoddam exquisitumque opus integrum in Actus Apostolorum impresentiarum desumimus, in quo si quid desideraretur, illud abundanter supplevimus, depromptis ex Menochio locis que ad paginarum calcem, annotationum instar, subjecimus. Quod si passim occurrerent versus quorum interpretationem nec Haræus, nec Menochius tradidisset, illos ab optimis interpretibus mutuati sumus, singula uniuscujusque auctoris loca proprio nomine signantes, ne cum Menochii feebus confunderentur.

Menochii vitam videre est vol. 13 Curs. compl. *Scriptura sacra*, col. 9-10, ad Commentarium in librum Esther.

IN ACTUS APOSTOLORUM COMMENTARIA.

Argumentum

Describitur infantia Ecclesie christianæ et membro: historia apostolorum, maxime S. Pauli, cujus comes et oculatus testis fuit S. Lucas, auctor hujus libri, ut